4 N. 15.

EPISTOLA
DE
VETVSTISSIMA
LAPIDEAE CVIVSDAM
INSCRIPTIONIS
ERASIONE.

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Research Library, The Getty Research Institute

http://www.archive.org/details/epistoladevetust00negr

IOANNI BAPTISTÆ CAPPONIO IO. F.
PHILOSOPHO ET MEDICO
IN PATRIO BONON. ARCHIGYM.
PROFESS. PRACT. ORD. ET ANATOM.
PRÆSTANTISS.

S. D.

ALEXANDER DE NIGRIS IO. FRANCISCI F.
I. V. D.
Perinſ. Coll. Eccleſiæ Diui Petronij Canon. Prot. Apoſt.

PEruigil vehementi æſtu elapſæ noctis effectus, colloquium ſub inclinatam diem inter nos habitum de antiquo Balneo, quaſi inopportunè mente reuoluebam. Hinc, vt olim diffluente vnda membrorum ſordes abſtergi cōſueuere, ità in eius cogitatu mens ipſa ab omni dubietatis labe purgari mihi videbatur; præſertim circa Principis, eraſum à lapide nomen, quod non Claudio (vt tamen ingenioſiſſimè ſcrutaris) ſed Caligulæ adiudico reſtituendum: imo magis atque magis delendum, ſtatimac priſcorum Bononienſium obedienti obſequio perennatam ad rerum ſtatum nouerimus prudentiam.

Cum itaq; intentioni valdè fauere queat, ſatis perpendiſſe quo verborum ſenſu Auguſti Cæſaris erga eos munificentia celebraretur, hanc dabo notionem, paginæ vetuſtum Lapidem referens, prout aſ-

ſeruatur in Ædibus Patriciæ familiæ de Albergatis, videlicet.

DIVVS AVG. PARENS
DEDIT
* [redacted] AVGVSTVS
GERMANICVS
REFECIT

*Sic reſtituerem. * C. CAES.*

IN. HVIVS. BALINEI. LAVATION. H-S. CCCC.
NOMIN. C. AVIASI. T. F. SENECÆ. F. SVI. T. AVIASIVS SERVANDVS
PATER. TESTAMENT. LEGAVIT. VT. EX. REDITV. EIVS. SVMM.
IN. PERPETVVM. VIRI, ET. IMPVBERES. VTRIVSQ. SEXVS
GRATIS. LAVENTVR.

Liceat ergo ab hoc Titulo decerpſiſſe ex vi vocabuli PARENTIS aliquid argumenti in Romani herois honorem, iuxta Venuſini ſenſum.

Hic ames dici Pater, atq; Princeps.

Enimuero clareſcit, ipſum Caium Cæſarem Octauianum V. Coſ. collega Sexto Apuleio Sex. f. Sex. n. à S. P. Q. R. Auguſtum, ac Patrem Patriæ appellatum, ob Rempublicam auctam, ob reſtitutum Orbi, & Vrbi decorem. Hinc teſtatum cernimus ex Dione tum idcirco temporis, quaſi humanam exceſſiſſet naturam, à Græcis DIVVM prænominatum, & cultu digniſſimum exiſtimatum; necnon ex Tacito conclamante, Lepidi, ac Antonij arma in eum ceſ-

An. V. C. DCCXXIV.

Dion. Nic in Auguſto.

Cornel. Tac. Annal. R. lib. 1.

ceſſiſſe, qui cuncta diſcordijs ciuilibus feſſa, nomine Principis, ac Patris in Summum Imperium ſuſcepit. Id ſimul firmant, vt benè noueris, eruditiſſime Vir, & Lapides, & Numiſmata. Quo ad iſta; è Domeſtico Muſæo aureum exhibebo ipſius Auguſti caput in antica, & nomen perhibens IMP. CÆSARI DIVI F. COS. V̄. IMP. VI. S. P. Q. R. in poſtica Equeſtrem Statuam Pacificatoris habitu inſignitam cum notis P. P. Tunc enim, & ei Equeſtris aurea in Vrbe decreta. *Patri Patriæ.*

Vt verò ſtabiliori argumento innitamur, ſuper petras, præſertim extra Vrbem, progredi quæſo libeat ad huiuſce venerationis modum è Colonijs recognoſcendum: Polæ namq; (tunc Iulia Pietas eo quod ſub Iulio Cæſare fuiſſet traducta) patet Sacellum eiuſdem Auguſti cum Epigraphe. *Plin. lib. 3. cap. 19.*

ROMÆ

ET. AVG. CÆS. DIVI. F.

PAT. PAT.

Smetius pag. 179. num. 16.

In Iadra Illyrici pariter Oppido, moderno vulgo Zara, eodem tempore à Romanis exculta, prope Portam ad agrum vertens alter allegitur.

IMP. CÆSAR. DIVI. F. AVG.

PARENS. COLONIÆ

MVRVM. ET. TVRRES. DEDIT

L. IVLIVS. OPTATVS

TVRRES. VETVSTATE. CONSVMPTAS

IMPENSA. SVA. RESTITVIT

Smetius pag. 144. num. 6.

Apud Sedunos in Sabaudia.

IMP. CÆSARI. DIVI. IVLI. F

AVGVSTO. COS. XI. IMP. XIII

TRIBVNICIA. POTESTATE. XVI

PATRI. PATRIÆ

PONTIFICI. MAXIMO

CIVITAS, SEDVNORVM

PATRONO

Lipſius in Auct. pag. 17.

Tempus enunciatæ Tribunitiæ Poteſtatis fuit in An. DCCXLII. Monumento concors reperitur aureus Nummus, cui Auguſti imago circumſcripta AVGVSTVS. PONT. MAX. TRIB. POT. XIII. COS. XI; ex aduerſo plano Capricornus cũ Globo, & Temone AVGVR. IMP. XIII. P. P, vt cernere eſt à lineato per Goltz. in Faſtis.

Hubertus Golt. in faſt. & triumph. Romanor.

In Arula nunc Ariona Hiſpaniarum Oppido.

Adolph. Occo in lib. Antiq. Hiſpan. Inſcrip. pag. 3. num. 5.

IMP. CAES. AVG. PONT. MAX

TRIB. POT. XXI. COS. XII

P. P. VICTORI. SACR

IIVIR. D. S. P. F.

Duumuir de ſua pecunia fecit.

Poteſtatẽ Tribunatus sũpſit XXI. in An. DCCL. Idẽ indicat æneum numiſma capite eiuſmet Principis figuratum ab vna, & nomine IMP. CAESAR. DIVI F. AVGVSTVS. PONT. MAX. TR. POT. XXI; ab altera

in

in medio S. C. circumq; COS. XII. PATER PATRIAE IMPERATOR XIIII. Ipſe teneo pulcherrimum.

In Bleſſa inter Hiſpanicas Vrbes etiam non incelebri.

IMP. CAES. AVG

PONT. MAX. TRIB

POT. XXVIII. COS. XIII

PAT. PAT. TERMI

NVS. AVGVSTAL

INTER. BLETIS

SAM. ET. MIROBRI

CAM. ET. SALMAN

TICAM

Adolph. pag. 9. nu. 6.

Tribuni munus XXVIII. ex a. d. V. kal. Iul. An. DCCLVII. ſubiuit; quo ex tempore, Senatu Conſulente, aliud æneum nuper adducto omnino ſimile cum notis in anteriori, IMP. CAESAR DIVI F. AVG. IMP. XV. in oppoſita, PONT. MAXIM. TRIB. POTEST. XXIIX. Inter cætera aſſeruo. Parens autem à Bononienſibus ſcribebatur Auguſtus, eo quia hanc Vrbem An. DLXV. in Rom. Coloniam deductam denuò ſub Anno DCCXXV. duxiſſet. Feſtus tamen Iuris proprij municipiũ ſub Auguſto aſſerit ipsã euaſiſſe.

Liuius in 37. Dion. in p. Feſtus ad 4. T. Liuij lib.

Præmiſſis conſiſtentibus illorum corruit auctoritas, qui aſſeuerare ſunt auſi, Octauianum nonniſi ſub An. DCCLVII. Patriæ Patrem, Auguſtum, & Diuum conclamatum; necnon & fragmenti Preneſtinæ Tabulæ in hæc verba deſumpti.

NON.

Lip. in Auꝭ. pag. 17.

NON . N . CONCORDIAE
IN. ARCE. FERIAE. EX
S. C. QVOD. EO. DIE
IMPERATOR. CAESAR
AVGVSTVS. PONTIFEX
MAXIMVS. TRIB. POTES
XXI. COS. XIII. A. SENATV
POPVLOQVE. ROMANO
PATER. PATRIAE
APPELLATVS

Quo etenim Anno XXI. Tribunitia refulſit auctoritate, à Conſulari non XIII. ſed XII. iam inde exiuerat.

Modo ad Balnearij Monumenti mutilationem vertatur ſermo. Innixus ipſe Tranquilli auctoritate quemlibet inter antiquariæ rei ſtudioſos hortarer ad fatendum cauſam talem profectam à Senatus Romani Conſulto, quo iuſſum eſt; omne æneum, quod Caligulæ effigiem nomenue referret conflari. Aſſentientibus prætereà multis inter PP. CC. vt & Templa diruerentur, atq; omnino Cæſarum aboleretur memoria. Hoc igitur euulgato ſenſu; ne Romani ègrè ferrent, quod Bononienſes in decus confoſſi Tyranni publicam nimium ex frequentato Balneo ſuſtinerent memoriam, non inſipientis erit arguiſſe, quod Decurionum Ordo (Senatus namq;

Suet. in Caio. circa finem.

in

in Colonijs vices gerebat), nomen exinde tolli mandarit. Aeri tamen in Vrbe collato, ne diutius deſeruiret infamiæ, ſors parum mutata eſt. Meſſalinæ ſiquidē voluptas illud in Mneſteris Hiſtrionis, in Caij Salij Gladiatoris Statuas cōuerſum voluit. Hinc raritas Caligulæ Numiſmatum, qui extemporanea prodigentia, nondum elapſo anno, Imperij theſauros prodegit vſque ad H-S. vicies, atq; ſepties millies. Ita Suetonius deſcribens illius nouos Balneorum vſus, portentoſiſſima ciborum, ac cœnarum genera, calidorum, frigidorumq; vnguentorum lauationes, margaritarum aceto eliquatarum potiones, panem, & obſonia ex auro in conuiuijs appoſita; *aut frugi hominem eſſe* dictitans, *aut Cæſarem*. Quin etiam non mediocri ſumma monetas aureas, argenteaſq; de Baſilicæ Iuliæ faſtigio ſpargebat in Plebem, de cedris Liburnicas gemmatis puppibus, verſicoloratis velis, magna Thermarum, Porticuum, Viridariorum, ac Pomariorum amænitate ambiebat conſtructas. Vnde nec improprium erit Bononienſis Balnei reſtitutionem ab homine deriuatam coniectaſſe, qui in ſtruendis ædificijs luxu adeò tumuit, vt, omni poſthabita ratione, nihil tam efficere concupiſceret, quàm quod poſſe perfici negaretur. Itaque moles infeſto, ac profundo mari iecit, duriſſimi ſilicis rupes non credenda celeritate complanauit; opificum tarditatem ſubitæ capitis pœnæ ſubijciendo.

Adolphus in Caio.

De huius ſumma valore multa & Henrico Glareano in Adnot. Suetonio appoſitis in Calig. col. mihi 1692.

Præallegatas euidentius ſolidabit coniecturas altera Inſcriptio, è Vinea olim Eminentiſs. Card. Carpēſis deſumpta per Smetium, ipſam per binas lineas ſtudioſè deletam commonentem, & Iouis Statuam ſuperimpoſitam inter duos boues capite reſecatam memorantem; vt, ni memoria me fallit anno nuper reuoluto 1655. in Vrbe obſeruabam.

I . O . M

SACR

VOTO . SVSCEPTO . PRO

SALVTE

Smet. pag. 17. nu. 11.

* [redacted]

[redacted]

AVG . GERMANICI

PONTIFICIS. MAXIMI. TR. POT

D. VETVRIVS ANTIGONVS

Spurius filius.

D. VETVRIVS. SP. F. PHILO

D. VETVRIVS. ALBANVS

PATER. CVM. FILIS. POSVIT

* Hoc pacto reſtituerem

IMP. C. CAESARIS. DIVI

AVGVSTI. PRONEPOTIS

Itaque Figuræ, & Epigraphis mutilationes, ferro, non tempore productæ pleniſſimè concludunt, pro ſalute Caij Caligulæ Vota, & Monumenta ipſa ſoluta Ioui, quem ſibi eouſque familiarem iactabat, vt quotidie ad Capitolinum ſimulacrum accedens, cum eo fabulari fingeret, modo inſuſſurrans, ſæpius aurem præbens. Immo proceſſit adeo inſania, vt ex Olympia Romam transferri imperauerit ſimula-

la-

lacrum, & capite obtruncato aliud ſibimet ſimile (ſicut per Latium, & Græciam vniuerſam cœteris huiuſcemodi Numinis Statuis) apponi mandarit. Quid vlterius? Inaudito inceſtu Sorores in concubinas mutatas quodam infandæ Deitatis typo cohoneſtauit. Author vt iuramenta per eas à Ciuibus fierent: *Neq; ſe, neq; liberos chariores habere quàm Caium, Sorores, & cætera Numina*. Sic, & Conſules ſcripta exordiri cæperunt in hæc verba; *Quod bonum ſit Caio ſororibuſq;* Hæ propterea ex S. C. cuſione Numiſmatis (quod licet rariſſimum penes me duplex viſitur) condecoratæ ſunt ſub Diuinis figuris; expreſſa nempe per Iuliam Fortuna, per Druſillam Concordia, atque Conſtantia per Agripinam. Fortius tandem veritati conſonam cenſebo conſiderationem, eo quia, nec vnicum vetuſtorum monumentorum Collectoribus de Caligula obuenerit deſcribendum.

De Balneis nihil exiſtimo dicendum, tum quia in rem meam non facit, tum quia deſuper, ſicut in cœteris, te noui verſatiſſimum: nec deſunt qui non Epiſtolam, ſed volumina implent. Non me tamen præterit Balineum Patrium, non ex longa æui edacitate contritum, ſed celeri aliquo impetu demolitũ ſatis lautum fuiſſe, & celebre. Licet enim Ceſenate Bergomenſi, Tifernate, atq; Nouarienſi vetuſtius, modernos in dies fiſtulas emiſit, & alia ſui veſtigia, vt proprium nomen ſtudioſius foret ſeruandum cum illo Titi Auiaſij Senecæ Seruandi, cuius munificentia decem millibus argenteis ditatum fuit. Publica, vt reor graſſante cum Caio libidine mixtis hominum ſexibus, ac ætatibus promiſcuè difluebat aqua, vt nuperrimè coniectatus eſt eruditiſſimus Vir, ex æneæ Lupæ laxatis faucibus, quæ à celebri Lupa Romana idcirco Vico fecere nomen *Bocca di Lupo*.

Apud Aldum Manucium. Pauli F. in Orthog. monumenta horum Balneorũ pag. 99. & ſeqq.

Fœdo incendio Colonia Bononienſis poſt demptum Caligulam abſorpta eſt: nec exinde conſtat Balneum reſtitutum. Quinimò ipſius qua iterum

pe-

A. Bocch. in Bonon. antiq. Hiſt. manuſcripta habet de pub. a dif. ment. non autem de Balneo

Baronius Annal. Eccl. Tom. 4. p. 551. diuiſ. a. ſub anno I. C. 387.

Suet. in Caio, pag. mihi 65. n. 53. Xiphil. è Dione pag. mihi 156.

perijt iacturæ continuatio præſumenda. Si enim Claudius ſucceſſor, exoratu Neronis, miſerando infortunio pecuniaria liberalitate ſuccurrens, refeciſſet, in primas ſaltem Barbarorum inuaſiones, vt cæteræ reſtitutarum Ædium conſiſtere potuiſset. Ciuium namque, & Principum ſtudijs, ac viribus aucta traditur, & ſeruata Patria noſtra vſque ad Magni Maximi ingentem cladem, cuius ſeuiſs. impetu, cum Placentia, Regio, Claterna, Mutina, Brixillo, & alijs adeo diruta fuit, vt planè reſtitutio eius deſperata penitus videretur. Sed quid in ſolis, etiamſi ſolidiſſimis, coniecturis moror, dum vltima mutilatæ Inſcriptionis verba quemque certiorem efficiunt; Seneceam Familiam, vt Caium Cæſarem merito, ac virtuti L. Annæi propenſiorem redderet (ſpernebat enim huius commiſſiones tāquam meras, & arenam ſine calce vocabat, imo, vt habet Xiphil. è Dione, parum defuit, nullo commiſſo delicto, quin occiſum voluerit.) Publicorum eius operum perennitati ære proprio in decem millia argenteorum inſtuduiſſe, & genito T. AVIASII SENECÆ FRATRIS T. SERVANDI adſcitum voluiſſe CAII prænomen, vt ex adulatione de more gratiam captaret?

Hæc ex candido animo, tuæ præclaræ virtuti obſequentiſſimo, etiamſi primo calamo deducta, & obſcura, lubens accipe, vt conſueti amoris lympidum perhibeas argumentum. Vale.

Dat. è Domeſtico Muſæo prid. Nonas VIIBRIS clɔ. Iɔ. c. LX.

BONONIÆ, Typis Hæredis Victorij Benatij.
Superiorum permiſsu.

2871-060 bbs 2872-247

7.

"perfect"

[illegible]

[illegible]

2